

vicinia accepto, ob miraculorum et gloriam vel frequentiam, oppido propinquo nomen et originem dedit. Cujus sancti memoriam poeta nobis amicus in Treuerensium fastorum commentariolo ad XXI Octobris olim ita descripsit.

Rege Scoto natus, prope flumen molle Saravi/Soliuagam instituit vitam, curisque solutus/Vrbem Trebetae supra convalle reposta,/Avia secessu coluit loca, Wandalinus./Exosus mundum, scelerisque admissa nocivi,/Detracta sed enim persona, ortuque relecto,/Obscuroque habitu coelo notissimus exul/Proditus est, urbemque suo de nomine dictam/Condidit apricis in campis uberis arvi.

Ceterum inter Doleianos abbates princeps nobis esto:]

1. [S.] Paulus Treuericus Eremita, et episcopus ad extremum Viridunensis, quem sanctitate clarum obuisse diem perhibent anno gratiae partae 649 [DCXLIX]. [Eius venerabile caput hodieque in ecclesia ostentui populis est, et religioni tam exteris quam domesticis.]

2. Grimo siue Adalgisilus Dagoberti nepos inde locum secundum obtinet, ecclesia Viridunensi in Pauli gratiam egregie locupletata et monasterio ditibus arvis perinde instructo celebris [laudatus].

Nos Abbatum Catalogum subjicimus.

*S. Paulus, Viridunensis Episcopus, egregia sanctitate Illustrissimus, cujus sacrum corpus summa in veneratione est. Vita mortali excessit anno Christi 649.*

*Grimo, siue Adalgisilus, Dagoberti nepos, cujus in gratiam Caenobium plurimum auctum fuit.*

*Bruschius*

Hinc iam sepositis iis, quos Bruschius, quondam maturius anforavit [vulgatus index maturius accersit], ordinem rectius tuebuntur, qui ex abbatibus ad ecclesiam Viridunensem re-